39760/B
[P]

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE CANTHARIDUM Viribus et Uſu.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. JOANNIS GOWDIE,

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *conſenſu*,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICAE *decreto*;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES WYNN, ANGLUS.

Ad diem 10 Decembris, meridie, loco ſolito.

Vulnus alit venis, et coeco carpitur igni. VIRG.
Et rapit humores madidos, venaſque calore
Compeſcit.———————— CLAUD.

EDINBURGI:

Apud HAMILTON, BALFOUR, & NEILL,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.
M,DCC,LVII.

316712
WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

VIRO EXIMIO,

ROBERTO WHYTT, M. D.

REGIAE SOCIETATIS

ET

COLLEGII MEDICORUM REGALIS

SOCIO DIGNISSIMO;

MEDICINAE IN ACADEMIA EDINBURGENA

PROFESSORI CELEBERRIMO,

LITERIS ET INGENIO SPECTABILI,

MORUM FACILITATE

INSIGNI,

PRIMOS HOSCE IN ARTE MEDICA CONATUS

D. D. D.

JOANNES WYNN.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30351443

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CANTHARIDUM viribus et uſu.

SECTIO I.

QUUM in morbis plurimis curandis Cantharides, praeſertim ad veſicas excitandas, optimo cum ſucceſſu quotidie adhibeantur, de harum viribus et uſu in hoc ſpecimine Inaugurali pauca proferre decrevi.

INSECTA haec omnibus fere quodad formam externam ſatis cognita ſunt: deſcriptionem anatomicam et hiſtoriam naturalem, utpote ad medicinam faciendam vix quicquam valentia, ſilentio praetermittam.

A primis medicinae incunabulis inter medicamenta ſimplicia Cantharides receptae ſunt. Hippocrates, artis noſtrae parens et princeps, non ſolum

interne eas adhibuit, ſed etiam Clyſmis et Peſſis immiſcuit: verba quoque facit de medicamentis externis calefacientibus *, quamvis non patet an ad hunc finem Cantharidas uſurpaverit: poſtea Rufus Epheſius et Paulus Ægineta ſimilia in febribus applicanda laudarunt. Aretaeus et Archigines primi habentur qui ad cutem exulcerandam Cantharidas adhibuerunt. Galenus ſcribit "in ungues pſorodeos, Cantharides cum idoneis ceratis aut emplaſtris impoſitae, ſic illos educunt, ut toti cadant. "Miſcuimus etiam, ait, in facultatibus pſoris et lepris congruentibus, necnon in quibuſdam ſeptis, "atque interim etiam iis quae clavos quos vocant "ejiciunt †." Arabes ad morbos ſoporoſos frigidos excutiendos praecipue uſurparunt. Apud Latinos, Plinius ad lepras et lichenas ‡, ad Alopeciam tollendam §, ad panos auferendos *, ad vitiliginem et ad tela quoque extrahenda †, valere teſtatur. Celsus, auctoritate Miconis, in papulis detergendis ‡ commendat,

* De rat. vict in morb. acut. Sect. ii.

† De Simp. Med. fac. Lib. xi. cap. 1. Sect. 44.

‡ Hiſt. nat. Lib. xxix. cap. 4.

§ Lib. xxix. cap. 6.

* Lib. xxx. cap. 8.

† Lib. xxx. cap. 13.

‡ De Medicina, Lib. v. cap. 25.

commendat, alias vero non, niſi inter adurentia * et inter venena †, memorat.

Quum ſcientia veterum aevis ſequentibus dilaberetur, inter alia periit quoque Cantharidum memoria. Apud recentiores pauci inveniuntur, quibus uſui fuerunt praeter Hollerium ‡ et Fernelium uſque ad tempus quo peſtis Patavii, Venetiis et Piſauri erupit. Quaeſtio inter medicos tunc oriebatur de Veſicantium uſu, qua diu exagitata, exinde uſus eorum increbuit.

Omni aevo ſatis conſtat Cantharidas quaſi venenatas habitas fuiſſe, ideoque inter venena numeratas; imo ad hunc finem a nonnullis propinatae ſunt. Mirae adeo de iis narrantur fabulae, ut ne vel manibus contrectare vel in pera geſtare, tutum haberetur. His igitur opprobriis ſubjectae, nil mirum ſi inter medicamenta locum ſe dignum non tenuere. Veteres etſi eas interne frequentius adhibuerunt, caute tamen ac timide cuti admovebant: hodie, contra, cum veſicatoria quotidie uſurpentur, uſus Cantharidum internus adeo rarus eſt, ut ha-

 beatur

* Lib. v. cap. 8.

† Lib. v. cap. 17.

‡ Ad vitia ſexcenta vetuſta contumaciaque percuranda, commendat. De mat. Chirurg. Lib. 3. cap. 5.

beatur vulgo experimentum extremum vel maxime periculoſum. Dedecus inſigne quod propter hujuſmodi adminiſtrationem, in Inſula noſtra Medicus quidam ſuſtinuit, ita caeteros perterruit ut etiamnum vix interne uſurpentur.

De uſu etiam externo hodierni ab antiquis multum diſcrepant; apud veteres enim ad effectus Chirurgicos praecipue deſtinatus eſt, recentiores contra ad effectus generales et morbos internos veſicantia praecipue adhibent.

In morbis igitur cujuſcunque fere generis curandis locum ſuum et laudem vario tempore Cantharides tenuerunt, cunctis autem virtutibus ſimul unitis nunquam refulſerunt.

SECT. II.

Cantharidibus ex retorta deſtillatis, primo liquor limpidus, ſubſalſi pungentiſque ſaporis; ſecundo coloris ſubfuſci, guſtatuque peraſper aſſurgit; dein qui tertio prodit, is empyreumaticus, et adeo acer eſt, ut guttulam vel minimam ferre lingua vix poſſit; quarto autem ſal volatilis acerque copia mediocri; et poſtremo oleum nigrum foetidumque

tidumque copiâ perparca oritur, dum nihil praeter pauculum terrae, vel capitis, quod vocant, mortui in vaſe ſuperſit *.

In errorem incidiſſe videtur Langius, ubi Cantharidum ex aduſtione pulverem in Electuariis Diureticis commendavit.

Cantharides ſpiritu, ſale et oleo orbatae, omni ſua virtute deſtitui videntur, et cuti appoſitae nullas veſiculas attollere valent. Interim tamen aſpectui integrae apparent †.

Dr. Cockburn octo uncias Cantharidum ex retorta, leni arenae igne, deſtillavit, et cum ſale volatili ſpiritum obtinuit atque oleum, relictis tantum unciis duabus cum quinque drachmis pro capite mortuo ‡.

Idem oleo ſeparato ſpiritum obtinuit, qui cum ſale abſinthii, ſpiritibus cornu cervi et ſalis ammon. non efferbuit, verum affuſus ſpiritui vitrioli excitavit effervefcentiam vehementem, et cum ſpiritu nitri adhuc vehementiorem, quae ab effuſis ad acida illa ſpiritibus

* Hill's Mat. Med. chap. 3. p. 823.

† Diſſert. Inaug. per G. Whitaker.

‡ Abr. Phil. Tranſ. Tom. 3. p. 267.

ſpiritibus c. c. et ſalis amm. lenior breviuſque durans obſervatur. Unde ſpiritus Cantharidum fortius habetur alkali, quam modo memorati ſpiritus.

Spiritus volatilis et urinoſus, ex Cantharidibus deſtillando prolectus, in nares attractus ex ſubitanea phialae apertione, in qua aſſervatus fuit, poſt aliquot horas dorſi dolores creaſſe cum urina cruenta, et caput affeciſſe, dicitur: ſanguini a venaeſectione adhuc calenti infuſus, ita eundem in fluorem concitavit, ut nullae amplius fibrae in eodem apparerent. *.

Viganus obſervat Cantharidas majori copiâ ſalis volatilis abundare quam alia quaevis animalia †. Borrichius obtinuit ex uncia una Cantharidum retortae vitriae immiſsâ, igne per gradus aucto, drachmam et paulo plus olei craſſi; coloris ſubflavi, odoris foetidi, cum aquae flavae portiuncula minima, et ſalis volatilis urinoſi drachmam circiter dimidiam.

Idem poſtquam vidiſſet manum hominis perfrictam oleo et ſale volatili Cantharidum, nil veſicularum ſentire, ad microſcopium confugit, et quia hujus ope percepit in corpore atque pedibus Cantharidem

* Eph. Nat. Cur. D. ii. an. i. p. 389.
† Medul. Chem. p. 58.

tharidem mille ſpinis inhorreſcere, harum aculeis cuticulae impactis vim adurentem attribuit, quemadmodum a foliis urticae, ut quae ſimilibus ſpinis armantur, manus patitur eundem quaſi uſtionis effectum. Hinc concludit, non in alis, nec in capite, vim cauſticam reſidere, ſed in corpore reliquo atque pedibus ſolum; et quod ubi in minutiores contundantur particulas corpuſcula Cantharidum antequam cuticulae applicentur, eo ſegnius operari credibile ſit, cuſpidibus nimio attritu diffractis *.

Hujus obſervationi prorſus adverſari invenitur Boerhaavii teſtimonium, qui docet ſales cunctos volatiles ex corporibus quibuſlibet animalibus prolectos, ſi cuti admoveantur, pruriginem, rubedinem, veſiculas et eſcharas producere.

Cantharidum acrimonia in partibus non admodum fugacibus in mole tamen minima conſiſtere videtur, cum veſicatorium idem aegris pluribus ſucceſſivè impoſitum, officio debito ſatis apte fungatur.

In cane mortuo ab infuſa venis tinct. Cantharidum aq. card. Ben. parata, ſanguis qui ex diſſectis venis vel viſceribus emanabat nigerrimum, minime coagulatum,

* Act. Haſ. vol. 4. obſ. 80. et vol. 5. obſ. 89.

coagulatum, ſed diſſolutum prorſus ſe exhibuit. Veſica etiam naturali ſuo muco penitus orbata videbatur *.

Sanguis ex vena miſſus admiſto pulvere Cantharidum diſſolutus eſt, et in ſerum nigrum et ſublividum converſus †. Ubi pulv. Cantharidum ſero admiſcetur, id liquidius et tenuius fit, et vix cogi poteſt ‡.

Ab his Baglivi experimentis luculenter patet Cantharidum vis admodum reſolvens: nonnulli autem experimenta hujuſmodi in ſanguinem extra corpus deductum ad vires medicamentorum inveſtigandas minime conducere perſuaſum habent, quod medicamenta intra corpus ſuſcepta ſanguini tepido et ſemper agitato admiſceantur, praeterea ubi per os ingrediuntur a viribus ventriculi, &c. commutationem miram patiuntur. Argumentum hoc prorſus inutile apparet hic loci, cum neque vires tubi alimentaris neque calor neque motus, vim Cantharidum *attenuantem* ſupra memoratam minuere poſſit; augere contra credibilius videatur.

Quibus

* Bagliv. de uſ. et abuſ. veſic. Exp. 1. et 2.
† Ibid. Exp. 3.
‡ Ibid. Exper. 4.

Quibus datae ſunt Cantharides, ſymptomata eveniunt graviſſima. Ab ore enim ad veſicam uſque cuncta erodi ſentiuntur; picem utcunque reſipiunt; dextra praecordia inflammantur; urinam aegre reddunt, et ſubinde cum lotio ſanguinem emittunt; ſtrigmenta haud ſecus atque dyſentericis alvo deferuntur; faſtidio urgentur; animo linquuntur, obortaque vertigine concidunt; poſtremo mente abalienantur *.

Cantharidibus inter febres cuti impoſitis, intenditur cum ſitis, tum linguae ariditas, pulſus frequentiores et celeriores redduntur, ſed nunc pleniores nunc magis contracti ſentiuntur, augetur febris, doloribus lancinantibus aliquando cruciatur veſica, praecipue ſi nova veſicantia ſedibus prius ulceratis, vix renata cute, admoveantur; ſanguis in terdum et pelliculae quaſi membranae eroſae cum urina redduntur, eaque paſſis veſica a morte exulcerata viſa fuit; citatur plerumque urina, nonnunquam vero ſupprimitur, ſed haud raro guttatim cum difficultate egeritur †.

Urina cruenta quamvis a Cantharidibus oriri

 vulgo

* Dioſcor. Lib. vi. de Venen. cap. i.

† Glaſs Comment. vi.

vulgo credatur, celeb. Hoffmannus teſtatur ſe nunquam id obſervaſſe, ideoque hanc opinionem rejicit *.

Foedam quandoque ſatyriaſin a Cantharidibus ortam obſervarunt medici; hujuſmodi exempla quaedam lethalia memorantur †.

Septicam quandam vim habere dicuntur Cantharides, et huic ſuſpicioni etiam a tempore Avicennae ſunt obnoxiae ‡: experimentis tamen certum eſt, quod propria naturâ putredinem veram non movent *.

A quo principio ſeptica talis vis originem ducat, vix patet, niſi a ſale alkalino. Chemici quidem alkali cum putredine congener eſſe docuerunt, mihi vero potius proles quam parens videtur. Sed principium vere alkalinum in ſtatu naturali extitiſſe vix conceditur.

Ab animalculorum copia quam exhibet infuſio Cantharidum, vim ſepticam vel putredinem inſignem deducit

* De haemor. ex urin. viis, Sect. i. Cap. vi.

† Cabrolii Obſervat. Anatomic. Obſ. 17. Eph. Natur. Cur. D. 1. an. 9 Ob. 148.

‡ Lib. ii. tract. 2. de virt. med. ſingul. cap. 205.

* Pringle on Diſeaſes of the Army, ſub finem.

deducit auctor noviſſimus *. De generatione equivocâ verba non faciam, obſervationes autem ſequentes animo facile occurrunt. Folia menthae (herbae quamvis Antiſepticae) in aqua per horas aliquot infuſa animalcula ſimiliter praebent; fructus acidi lendiculos pariunt; et ipſum acetum anguillulis ſcatet: in ipſa vegetantium ſubſtantia, etiam optime vigentium, naſcuntur inſecta; et in humoribus inquilinis inveniuntur animalcula quae neque corpori offendunt, nec oeconomiam animalis legitimam turbant.

Ex verbis autem authoris ejuſdem non conſtat Cantharidas plus habere putredinis quam millepedae, quarum novimus ingentem numerum quotidie ſine incommodo, ſine correctore, devoratum.

Dicitur etiam guttas aliquot ſp. vin. vel ſolutionis ſalis fixi aut volatilis animalcula ſubito necare, vel generationi eorum obſtare. Unde patet Cantharidum corrector qui alioqui vires nequaquam minuit.

Tinctura denique Cantharidum huic opprobrio non ſubjicitur, cauſae igitur aliae putredinis quaerendae ſunt.

* Wright. in Phil. Tranſact. Vol. 49. Part ii. 1756. Art. 82.

Ut rem ergo propius attingamus, varias putredinis cauſas intra corpus ipſum animadvertere oportet, calorem ſcilicet, motum nimium vel ejus defectum, permutationem fluidorum nimis celerem, vel eorum nimis longam retentionem. Cum igitur Cantharides acri ſuo ſtimulo motum fluidorum et calorem corporis inſigniter intendant, facile patet eas augere poſſe humorum Diatheſin in putredinem, quamvis ipſae neque putridae ſint, neque extra corpus humanum in aliis corporibus putredinem promoveant.

Cum lege quadam naturali ſales nonnulli aquoſas particulas ſibi attrahant, ſuſpicio eſt, ne ſales Cantharidum fluidis noſtris permiſti, eundem operandi modum retinentes, optimam fluidorum partem ſcilicet liquidiſſimam elicere poſſint. Id autem quamvis concedatur, tantilla tamen eſt liquidi copia, quam portiunculam ſalis lixivialis imbibere credimus, ut ejus in oeconomia animali vix ulla ratio habenda ſit, niſi fluidum nervoſum vel ſimile quiddam attrahere fingatur. Facile quidem concedimus a motu, quem ſuſcitant, fluida tenuiſſima diſſipari, ſed et interim diffringuntur moleculae majores; unde non ſpiſſiora evadunt fluida, ſed tenuiora fiunt.

De

De Cantharidum operatione quaeſtio occurrit difficillima, ſciz. cur ad partes uriniferas prae caeteris tendant? Hanc Bartholinus abſolvere conatur per viciniam vel communionem inter vaſa lactea et emulgentia *. Caeſalpinus ſimilitudinem ſtatuit inter Cantharidas et nitrum, deinde videtur cum terebinthina comparaſſe †; alii veſicae ſenſui acuto tribuunt, alii miro quodam magnetiſmo explicari volunt ‡.

Operatio haec Cantharidum ſingularis affinitati cuidam inter has et urinam optime forſitan tribuatur. Ubi Cantharides et urina chemico examini ſubjiciuntur, ſimilitudo quaedam apparet inter eorum principia: urinae ſal volatilis cuti admotus hanc ad modum veſicatorii exulcerat *: ſal urinae nativus vi diuretica perquam notabili pollet †: denique qui a Cantharidum uſu et Iſchuriâ moriuntur, ſymptomata plurima habent inter ſe communia. Veriſimile videtur eandem fabricam ſingularem, qua renes ad urinam eliminandam aptantur, ad acrimoniam Cantharidum ſeparandam etiam convenire.

Urinae

* Cent. 3. Epiſtol. 78.

† Med. Hip. lib. 3. cap. 11.

‡ Vid. Reigeri Introd. ad Not. rer. Tom. ii. pag. 481. 482.

* Boerhaav. Chem. Tom. i. Pag. 546.

† Ibid. Tom. ii. part. 2. proc. 121.

Urinae copia augetur irritatis renum vaſis minoribus, aucto ſcilicet motu eorum oſcillatorio. Huic cauſae praecipuae alias adjiciam, quibus ſimul cum urina caeterae promoventur excretiones; auctum nempe ſanguinis impetum, humorum craſin ſolutam, et forte quidem potus ingeſti copiam propter ſitim creſcentem, acrimoniae praeſertim putridae ſemper comitem.

Ischuria et ſtranguria a Cantharidibus natae meatibus uriniferis irritatis quoque tribuendae ſunt. "Haec operationis varietas, non ex mutabili remediorum virtute, ſed ex multiplici corporis ſtatu, "deduci debet. Eorum quippe actio eadem ſemper "eſt, ſibique conſentiens; cum vero corporis in "quod agunt diſſimillima ſit indoles, adhibitis re-"mediis, ratio poſtulat ut non *diverſus* modo, ſed et "*contrarius* aliquando oriatur effectus*:" Huic cauſae varietatis adjungere licet doſis differentiam, ſtatus admodum varios rerum non naturalium, et actiones remediorum aliorum, ſive ea ſub nomine corrigentium vel ad alias indicationes ſpectantia adhibeantur.

Quod

* Friend. Emmenol. Cap. xiv.

Quod partes generationi dicatae tantopere aſſiciantur, a ſenſatione earum exquiſitâ partim pendet; acria enim alia quae motum fluidorum cient et calorem augent, ſimilem edunt effectum: partim tamen ſympathiae tribuendum eſt, quam cum veſica et urethrâ iſtae habent partes; urethra enim canalis ſenſu acutiſſimo praeditus, tum urinae tum ſeminis emiſſioni inſervit; a veſica etiam oriri poterit iritatio, cum ab hujus ſola diſtentione penis erectio vel proveniat vel ſaltem augeatur *.

Cantharides cuti admotae partes ſubjectas irritant et veſiculas attollunt, quod etiam ab uſu interno incauto tubus alimentaris patitur, unde ſymptomata quaedam graviſſima, quorum meminit Dioſcorides.

A Cantharidum irritatione, tum ſingulari, tum univerſali intenditur fluidorum motus, et febris vel oritur vel augetur; quae ſi valida ſit, humorum putridae ſolutioni conjuncta, poſt caput nervoſque ſaeviſſimè turbata mortem inducit.

SECT.

* Eſſay on the Vital and Invol. motions pag. 104.

SECT. III.

Cantharides quidem inter diuretica, cephalica, deterſiva, ecphractica, alexipharmaca, aliaſque medicamentorum claſſes numerari merentur: omnes autem virtutes, quibus pollent, ad duo principia referri poſſunt, vim ſcilicet reſolventem et ſtimulantem. Patet igitur ubi lentor abundat, aut languet vaſorum actio, has praecipue adjuvare; ubi ſolvuntur humores, aut nimis intenditur motus, maximè nocere: ubi autem motu nimio lenteſcunt fluida, vel motu torpente diffluunt, non ſatis conſtat quid ſit expectandum. Uſus igitur ſingulares ab effectibus praemiſſis hauriamus.

α Cum igitur a Cantharidum uſu accendatur vel intendatur febris, quaerendum eſt imprimis quid ſit febris, et quinam ejus effectus, ſi velimus recte de Cantharidum virtute judicare. Febris quidem ſimpliciter nihil eſt aliud quam vires vitae praeter ſolitum excitatae; ſtatus igitur corporis morti quam maxime contrarius: cujus effectus hi; coagulata reſolvit, cruda concoquit, morboſa expellit, totumque corpus repurgat; a natura concitatur ut hetero-

genea

genea materia ipſi inimica ſecernatur, vel ſanguis in novam aliquam diatheſin immutetur, eſt ejus quaſi inſtrumentum, quo partes impuras a puris ſecernat. Saepè igitur praeſidio eſſe, et ſanationis optima cauſa merito dicitur.

Hippocrates olim docuit morbos plurimos a febre ſuperveniente ſolutionem accipere; praecipue capitis et nervorum. "Cerebrum (ait) quaeque ex "eo oriuntur, frigido quidem offenduntur, calido "vero delectantur *". In morbis acutis obſervare quotidie licet, quantae cerebri et nervorum oriantur turbationes, ubi febris, nondum peracta criſi, defecerit.

Verum et idem Hippocrates et ſcriptores recentiores morbos alios quamplurimos obortâ febre levatos ubique memorarunt. Huc ſpectat tota fere cohors phlegmatica frigida, quâ turget chronica morborum claſſis. Huc quoque referri poſſunt ipſi morbi acuti, quibus febris non morbus ipſe, ſed ſymptoma ſolummodo invenitur.

Inde quidem videtur Cantharidum vis longe lateque extendere; conjicere enim licet in omnibus

 hiſce

* De liquid. uſu. Cap. 2. R. Chart. Tom. vi. pag. 444. Simile profert Lib. v. Aph. 18. Tom. ix. pag. 204.

hiſce morbis, re poſtulante, caute adhibitas boni quid afferre. Nunquam rectius medicina curat quam ubi naturae vias, quibus morbos levat, imitatur *.

β Verum et revulſioni ſaepiſſime tribuuntur veſicantium effectus. Ex antiquorum ſcriptis patet, eos, in morbis plurimis, ſpem ſanationis magnam in his revulſionibus poſuiſſe; unde doctrina haec propter antiquitatem reverentiam ſibi quandam vendicat: ſeculis poſterioribus aucta et emendata, vel forſan potius corrupta magnam ſcientiae medicae partem conſtituit: tempore Helmontii magnam ſubiit infamiam, et poſt Harveium vix caput extulit. Theoria quidem antiquorum valde fuit imperfecta, praxis vero, cum ab alio fonte, obſervatione ſcilicet et experientia derivata ſit, inde quam minime afficitur. Ars medica non a theoria prodivit, ſed theoria quaeſita fuit poſt inventum remedium. Rationi tamen maxime conſentaneum eſt, ubi ablata vel diminuta fluidorum reſiſtentia, vel alia quacunque de cauſa, verſus partem ſingularem determinantur humores nocivi, inde corpus univerſum, ideoque membra quaelibet ſingula levari.

Nos

* Van. Swiet. Tom. 1. pag. 157.

Nos autem naturam ſequamur, ut intelligamus quaenam ab ulceratione ſola cutis expectanda ſint, et videamus morbos, qui ab ulceribus vel eruptionibus ſponte natis leventur, et quinam ab hiſce ſanatis quandoque oriantur. Inter hos primi occurrunt Epilepſia, convulſiones, furores, Lethargus, cephalalgia, oculorum affectus, aſthma, tuſſis convulſiva, arthritis, melancholia, peſtis, febres variae morbique ex his oborti.

γ Ut ulterius autem pateant veſicantium effectus, advertendum eſt Hippocratis effatum, qui pronunciavit dolorem minorem a majori obſcurari. Ita docuit divinus ille ſenex, incommoda naturae alia aliis opponere, et morbo morbum debellare. Hujus praecepti veritas experimentis facile confirmatur, exemplum forſan, quamvis obſcurum, praebet cordis actio.

Inde vero liquet veſicantium uſus in delirio, convulſione, ſingultu, affectibus nervoſis, inflammatione, Ophthalmia, Odontalgia, Catarrho, et morbis ſimilibus ex irritatione ortis. Effectus in his ſaepe dicitur revulſio, et eſt quidem revulſio vel tranſlatio doloris, non vero materiei.

δ Cum ab uſu Cantharidum tantopere afficiantur Organa tum urinaria tum generationi dicata, inde conſequitur, eas effectum bonum vel pravum in pleriſque harum partium morbis producere. Adhibitas enim doſi idonea conſiderare licet quaſi medicamentum topicum ſtimulans, his partibus admotum, ad quas manus Chirurgi pertingere nequeunt.

ε A Cantharidibus quoque ritè adhibitis cum citetur plerumque urina, videndum eſt in quibus morbis juvet haec evacuatio. Huc praecipue ſpectant Hydrops, Icterus, Aſthma, Febris.

ζ Inter effectus quoque Cantharidum cenſeri poteſt menſium citatio, ad quem finem ſaepe eas praecepit Hippocrates. Cum igitur morbi ex menſibus ſuppreſſis nati propria naturâ veſicantia frequenter expetant, quia ad Plethoram domandam valere creduntur ulcera manantia, Veſicantia ex Cantharidibus juvamen magnum pollicentur, praeſertim cum ſpes adſit obſtructionis quoque tollendae.

η Denique quatenus ex medicina priſca de uſu veſicantium haurire licet; eſtimanda ſunt ferri igniti et ſinapiſmorum ſuccedanea. De ſinapiſmorum uſu Celſus ipſe ſolus rationem ſatis perfectam reddidit;

didit; ferri autem igniti uſus apud veteres frequentiſſimus, virtutes, quas huic inhaerere crediderunt, teſtatur, praeter dictum Hippocratis memorabile, "Qui igni non ſanantur, hos exiſtimare oportet inſanabiles *".

Usum quidem veſicantium, in omni caſu, quo haec olim profuiſſe judicabant, inferre non aequum videtur; praxis autem antiqua cum hodierna melius inde comparetur. Unicuique proculdubio medicinam colenti gaudium afferet, in variis medendi methodis eaſdem indicationes immutabiles obſervare.

SECT. IV.

Cantharidum vis fluidis noſtris permiſſa, vel intra vaſorum cavitates recepta, eoſdem edit effectus, ſive per os, ſive per cutem introgreſſa ſit. Concipiantur hinc veſicantium effectus, ſeri eliminatio, vel partis cui apponuntur irritatio, a virtutibus Cantharidum propriis diſtincti.

Ubi igitur propriae Cantharidum vires deſiderantur, ſed cutem exulcerare non requiritur; ubi morbus

* Lib. viii. Aph. 8.

bus per totum corpus diſpergitur, neque partem ullam prae caeteris occupat; illic videtur uſus internus praecipue locum habere. Nam cito, tuto et jucunde, quantum liceat, ſanare docemur.

Ubi contra morbus locum ſingularem infeſtat, veſicatoria potius locum obtinent. Si a viſcoſitate nimia obſtruuntur vaſa, vel fibrae reſolutae tonum amiſerunt, Cantharidum vires ſtimulantes attenuantes in ipſam partem affectam inferre juvat. Si ab irritatione oriatur morbus, loco cuidam vicino vel ſaltem non longe diſtanti admovere praeſtat, ut inde obtineatur doloris revulſio.

Ubi morbus aliquis ſtimulum topicum deſiderat, neque ob ſitum admittit, nonne parti cuidam cum ea maxime conſentienti, quam alienae, praeſtat applicare? Hoc pacto forte in locum quaeſitum adduci poteſt irritatio.

Cum revulſionis gratia apponenda ſunt veſicatoria, natura quandoque locum deſignat; ut in Epilepſia, Podagra: ubi hae deſunt indicationes, in propinquo partis affectae juvat applicare.

Vires propriae Cantharidum per cutem in corpus delatae, poſt veſicatorium ablatum brevi evaneſcunt, et ulcus tantum reſtat. Huic igitur non fidendum

dendum eſt, ubi morbus uſum Cantharidum diuturnum poſtulat.

SECT. V.

Cantharides cuti admotae agunt, 1mo, Stimulo ſuo; unde mens valide afficitur, intenditur circulatio, augetur motus vibratorius in parte ſubjecta, attenuantur viſcida, minuitur interim doloris ſenſus in aliis partibus. 2do, Humorem ſeroſum evacuando. 3tio, Propriis viribus, quibus totum genus nervorum et vaſorum irritant et fluida ſolvunt; hinc motus et calor ubique augetur, urina et ſudores moventur, &c. Hiſce igitur effectibus perſpectis, in morbis quibuſlibet optime cernitur veſicantium proprietas.

Vesicantium uſus in febre frequentiſſimus poſtulat, ut ab hâc principium ſit. Imprimis autem obſervandum eſt, quod ſicut ventus idem variè modulatus flammam vel concitat vel extinguit, ita medicamentum idem, varie adminiſtratum, vel febris cauſam vel remedium ſe praebet.

Cum igitur in febre curanda medici veſicantia admoveant, non intelligendum eſt, hoc modo febrem

brem tolli vel cohiberi; nam praecipuum eſt conſilium, ut inde augeatur vel ita inſtauretur, ut debitam perficiat Criſin, qua peracta ſponte ceſſat; ad hunc modum *febre ipſa uti* docemur *ad ejus remedium* *.

In febribus igitur longis, quas olim notavit Hippocrates perfectam Criſin regularem non accipere, vel ſub morbi finem, ubi a motibus praegreſſis violentis tonum amiſerunt fibrillae, et languent vaſorum vires, locum praecipue obtinent. In febribus acutioribus pleriſque non adeo proſunt. "Nunquam (inquit Proſp. Alpin.) probare potui, in acutis febribus veſicantium uſum, quod calorem febrilem augeant, vigilias doloremque concitent et deliria inducant, coctionem impediant, non minus et motui humorum critico obſint, quum incertus ſit locus ad quem vel per quem Criſis eſt futura †". Similia monuit Baglivus; "Delirantibus cum febre acuta, lingua arida, et indiciis magnae viſcerum inflammationis, ſi applicentur

* Celſus, Lib. 3. cap. 4.

† De Med. Method. Lib. v. pag. 173.

"centur Veſicatoria, omnia in pejus ruunt, et "magna ex parte moriuntur convulſi *".

Quamvis acrimonia Cantharidum, ſalium volatilium operationi videatur ſimilis, effectûs tamen duratione veſicantia hos longe ſuperant: hi enim per os ingeſti, ſicuti in ſanguinem ingreſſi magnos concitant tumultus, ita per cutem et renes celerrime evadunt; acres vero Cantharidum particulae quamvis cito diffugiant, aliis novis inſtaurantur quamdiu manet pabulum; adeo ut "pulſum non "modo ad tempus attollant, ſed ita inſtaurent, ut "curſum ille ſuum tenere poſſit naturalem †".

Symptomata febrilia, quibus indicantur veſicantia, ſunt praecipue Somnolentia, Coma, Delirium, Subſultus, Convulſio, Anxietas, Debilitas. Haec vero, cum a cauſis admodum variis naſcantur, ſaepe ſunt fallacia: quoties a viribus attritis oriuntur, cum pulſu debili, parvo, poſt longam aegritudinem, quâ natura jam fatigata morbo ſuccumbit, veſicantibus praecipue fidendum eſt; ubi vero contraria inflammationem ſignificant, ab eorum uſu potius abſtinendum eſt.

* Prax. pag. 102. idem refert De uſ. et abuſ. Veſic. cap. 2. Sect. 111.

† Friend, de feb. Com. 9.

De uſu veſicantium in febre nervoſa in Actis Edinburgenſibus * agitur copioſè. Si, cum medico ingenioſo, febris eſſentiam in ſpaſmo univerſali ponamus, mihi videtur, (qualeſcunque ſint ſtimuli generalis effectus) irritationem ſingularem, quatenus animae attentionem ad partem irritatam derivat, ad ſpaſmum generalem auferendum conducere.

Retulit mihi Medicus Londinenſis expertiſſimus podagrae hiſtoriam, cujus primus inſultus febri intermittenti ſucceſſit, eamque judicavit; cujuſmodi Criſis, ſi praevideri poſſit, juvanda videtur pedibus admoto ſtimulo. In febre intermittente apud Ægyptios inter auxilia ſecreta habentur Veſicantia. Apud noſtrates cortex Peruvianus remedia caetera fere obſcurat.

De veſicantibus in febre hactenus, quaſi de ſtimulis tantum diximus; ſi vis attenuans ſpectetur, majora forſitan eſſent expectanda, niſi etiam obſervandum eſſet, nec inflammationem nec febrim ab obſtructione, quaſi cauſa proxima, ſed ab irritatione ſola provenire †. Indicatio igitur generalis reſolvendi

* Med. Eſſ. Vol. 4. Eſſ. xxiii.

† Obſtructio et irritatio ſibi ſunt viciſſim vel cauſae vel effectus. Vaſa impacta materie praeter modum diſtenſa vel compreſſa

vendi hinc multum circumſcribitur ; etiam ubi principem habet locum, ſciz. in acutis, illic maxime nocet Cantharidum irritatio.

compreſſa irritantur ; contra, materia quaevis ſtimulans (acrimonia v. g. fluidorum) vaſa irritat, illaque in motus vibratorios fortiores excitat, unde fluida craſſiora in vaſcula anguſtiora nunc nimis diſtenſa pelluntur, et impacta utcunque haerent. His ergo ſe mutuo frequenter comitantibus, hujus effectus illi quandoque tribuuntur.

Obſtructio igitur vix inflammationis cauſa eſt habenda, niſi quatenus irritatione operatur. In partibus ſenſu obtuſiore praeditis obſtructio legibus mechanicis creſcit, et ſchirrum potius quam inflammationem generat ; tumores hujuſmodi quotidie videntur ab inflammatione prorſus immunes. Contra vero irritatio, a quacunque cauſa orta, ad inflammationem excitandam ex ſeipsâ ſufficit. Obſtructio quae fit errore loci, rubedo inſolita, cum morbum ipſum conſtituat, pro morbi cauſa non habenda eſt. Obſtructio tunc ſolum cauſa eſſe admittitur, quando materies impacta ſtimuli vicem gerens dolorem, rubedinem, &c. parit, et in hoc ſolo caſu irritatio tollitur, et inflammatio ſanatur, obſtructionem primam vel cauſam irritantem auferendo.

Si inflammationis cauſa propria in irritatione conſiſtere ponamus, videtur curatio tota in ea tollenda conſiſtere. Hinc Emollientium, Anodynorum exponuntur effectus ||, et hinc intelligitur Cantharidum vis dicta attrahens, necnon vis narcoticorum repulſiva.

Febris quoque cauſa proxima videtur irritatio, neque aliter docet theoria hydraulica. Si pulſus velocitas ab obſtructione praecipue ortum duceret, quomodo a paronychia tanta excite-

|| Vid. Whytt's Phyſiological Eſſays, pag. 47.

Excretiones quas promovent Cantharides, febribus plerumque ſunt opportunae: in quibuſdam ſpes eſt, ipſius materiei morbificae partem per cutem exulceratam eliminari, et hac de cauſa veſicae non temere ſunt exſiccandae. Obſervatum eſt in puella febre continua, intermittentis prole, vexata, poſt febrem jam diu fugatam, paroxyſmum febrilem ad veſicae exſiccatae tempus rediiſſe *.

Quibus vero febribus hujuſmodi revulſio ſit expectanda, et quibus non, vix certe dignoſcitur, in his forſan praecipue, quae ab eruptionibus vel abſceſſu critico judicationem accipiunt. Haec febribus longioribus praecipue accidunt, rarius brevioribus, nunquam omnino ſub morbi initium nondum praegreſsâ debita coctione.

Huc quoque referendae ſunt febres peſtilentiales putridae vel malignae dictae. Veſicantium effectus in

tur febris, dum hepate et liene fere totis ſchirroſis, a pulſu morbus non dignoſcatur?

Cum a ſtimulo quocunque intendatur cordis actio, cum ſine hoc non oriatur febris, vel excitetur pulſus languens, cum poſt narcotica aſſumpta, vel ſomno naturali vel morboſo lenta fiat cordis actio, conjicere licet ſtimulum cauſam eſſe ſolam cordis contractionis naturalis, uti docuerunt Phyſiologi noviſſimi; effectus igitur incrementum cauſae incremento tribuimus.

* Fred. Muzzel Obſerv. Med. et Chirurg.

in ipſa peſte ſatis innoteſcit, cum a ſcriptoribus omnibus laudentur; ulcera quoque manantia prophylacticum habetur certiſſimum. In angina maligna epidemicâ, quae per annos aliquot elapſos graſſata eſt, multum profuere veſicantia *, ipſe pulchros horum effectus ſaepe miratus ſum.

In Variolis multum pollent veſicantia, quatenus eruptionem promovent, humores verſus cutem derivant, pulmones ſublevant, pulſum attollunt: plurimi ea in hoc morbo laudarunt, argumentum vero praecipuum a Sydenhamo † hauriendum eſt, qui etſi methodum probavit refrigerantem, his tamen locum concedit. Si quidem antidotus ſpecifica vel prophylaxis alia quam inſitiva huic morbo ſit quaerenda, a veſicatoriis aut fonticulis videtur expectanda, cum receptum contagium verſus cutem certiſſime tendat, et in abſceſſu terminetur: vel ſi morbi, variolas ſaepe conſecuti, contagio relicto tribuuntur, his ſaltem veſicae aut fonticuli optimo ſunt praeſidio, praeſertim cum jam orti his modis toties ſint oppugnandi.

Specificum porro habetur in febre veſicatorium nuchae appoſitum. Particulae Cantharidum acres

* Vid. Huxam & Fothergill.

† Epiſt. ad Gul. Cole de Var. et paſſ. hyſt.

acres erodentes nervum octavi paris vulnerare creduntur; inde ſpirituum animalium effuſio oriri, pulſus interim lentiores fieri, et febris tolli exiſtimatur, corde debita ſua copia ſpirituum orbato *. Haec obiter memoraſſe ſufficiat.

In Apoplexia, calefacientibus, epiſpaſticis et ſimilibus ſpem praecipuam poſuere medici ab Arabum tempore; talia quippe ad ſenſus revocandos aptiſſima judicabantur. Cantharidum vires in his poſuimus, quod fluida ſolvunt et motum cient: ſi igitur a lenta ſpiſſitate oriatur morbus, nullum remedium praeſentius credimus; ſin a vaſculis ſanguineis encephali ruptis, medicamentum nullum magis noxium.

Ab Hippocrate diſcimus apoplexiam a febre ſuperveniente quandoque ſolvi †: ſi modo non fallant morborum nomina, *levem* hic ſpeciem intelligit; alibi enim dixit *validam* apoplexiam nullo modo ſanari ‡. Hodierni hanc tenent ſententiam, quod per apoplexiam validam, eam voluit, quam nunc ſanguineam dicimus, per levem vero pituitoſam*.

Lethargus

* Hujus Hypotheſis exquiſitae auctor eſt Dr. Cockburn. Vid. Ph. Tranſ. l. c.

† Lib. 6. aph. 51. Lib. 5. aph. 5.

‡ Lib. 2. aph. 42.

* Van. Swiet. Com. Tom. 3. pag. 276. Mead mon. et praec. med. Cap. 2. pag. 37.

Lethargus cum ſpecies ſit levior apoplexiae pituitoſae, huic ſemper convenire veſicantia judicamus. Ad hunc excutiendum praecepit haec olim Hollerius* et Septalius†: Duretus quidem monet Sinapiſmos in Lethargo minime uſurpandos eſſe, quod cum febre conjunctus ſit, quae haec calida reſpuit; ob eandem quoque cauſam veſicantia damnavit Piſo ‡. Cum autem febri huic ſalutari, temperies laxa frigida nimis obſtet (haud aliter quam in peripneumonia notha) excitari potius quam deprimi poſtulat. Fuit haec ſapientia quondam, juvantia a laedentibus ſecernere, et naturâ duce *febres inflammare* *.

Archigenes videtur primus qui veſicatoria ex Cantharidibus in Paralyſi applicuit †. Haec vi reſolvente et ſtimulante impedimenta viſcida glutinoſa abſtergunt, et motum languentem excitant; indicationes igitur omnes abſolvunt, et, quantum per remedium unum fieri poteſt, per ſe ipſa ad totam curationem

* Edit. 1577. cui Duretus attexuit adverſaria.
† Animad. med. Lib. 6. Caut. 35.
‡ De morb. cog. et cur. Lib. 1. cap. 2.
* Celſus. Lib. iii. Cap. 9.
† Aëtii. Tetrab. 2. Serm. 2. cap. xxviii. de reſolutione.

rationem ſunt inſtructa. Si conſiderentur morbi ſymptomata, ſenſatio et motus laeſi, inde patent ſtimulorum effectus; conſtat enim experimentis, inflammatione partem quamlibet obſidente, ſenſibilitatem pro ratione inflammationis ſe habere; irritata porro parte qualibet mobilitate praedita *i. e.* muſculari, in actionem hanc protinus excitari.

Vesicantia capiti admota in Phrenitide laudantur; cui morbo ſaepe judicio ſunt narium Haemorrhagiae, vel abſceſſus pone aures. Dura mater cum a carotide externâ ſanguinem accipiat, hujus impetus optime tolletur evacuatione ab aliis ejuſdem arteriae ramis inſtituta. Quinetiam ex vaſorum anatome patet, quomodo cerebrum ipſum ab eiſdem levamen accipiat.

In Epilepſia Idiopathica, veſicatoria capiti admovenda juſſerunt Septalius*, Riverius †, et Piſo ‡; alii fonticulos laudant. Methodus haec originem habet antiquiſſimam: Celſus ſuadet occipitium ferro candenti urere*; Aretaeus idem juſſit, necnon Cantharidas

* An. med. lib. 6. caut. 55.
† Prax. lib. 1. cap. 7. et 8.
‡ De morb. ex coll. ſeros. cap. 19.
* Lib. 3. cap. 23.

tharidas cuti affricandas monuit *; etiam ipſe Hippocrates idem innuiſſe videtur ubi dicit, "Quibuſ-"cumque pueris exiſtentibus erumpunt ulcera in "caput, et aures, &c. Qui ſic purgati fuerint, "comitiali morbo fere non corripiuntur †". Cujus moniti veritatem recentiores confirmarunt ‡.

In Epilepſia ſympathica, ubi ab elevatae aurae aut formicationis cujuſdam ſenſu praevidetur paroxyſmus, veſicatorium fomitis ſedi admovere praecipitur *; hujus foelicem exitum narrat Wepferus †. Platerus laudat cauſticum ‡; aliis fonticulus placuit, aliis moxa. Trallianus olim appoſita herba lepidii veſicante morbum abegit; neque Paulum, neque Galenum latuit hujuſmodi medela.

Vesicatoria capiti admota locum quoque vendicant in Chorea Sancti Viti. Hiſtoria memorabilis quam retulit celeb. R. Mead auctoritatem ſatis validam huic methodo miniſtrat *. Ipſe quidem

* Curat. morb. Diut. lib. 1. cap. 4.
† De morb. ſacro cap. 4. Ch. Tom. x. pag. 479.
‡ Willis de morb. convul. cap. 3. Tulp. Obſ. 8.
* Boerhaav. de Cog. et cur. morbis. aph. 1084.
† De Cicuta aquaticâ cap. 8.
‡ Lib. 1. cap. 2.
* De Imper. ſolis ac lunae pag. 39. &c.

dem, poſt medicamenta chalybeata et balneum frigidum diu tentata, ulcerata ſponte facie et capite ſanitatem vidi reſtitutam. Sive ad affectus convulſivos ſive paralyticos referatur hic morbus, ex ſupra dictis aequè patet veſicantium proprietas.

Quanquam a medicis ſummis ad aniculas uſque celebretur porrigo, ad mala varia, praecipuè capitis, avertenda, quotidie tamen videmus veſicantia vel ſinapiſmos, in cerebri affectibus, delirio praeſertim febrili, etiam optimo cum ſucceſſu pedibus appoſita.

Ad varios oculorum morbos abigendos multum proſunt veſicantia; in Gutta ſerena, coecitate, albugine, ſuffuſione, praecipiuntur *. In ophthalmia autem egregii ſunt uſus: Hoffmannus quidem pedibus apponi ſuadet potius quam nuchae †; dum Heiſterus parva capiti admota prae caeteris laudat ‡.

In auditu gravi veſicatorium pone aurem poſitum profore videtur, ſive a pure in meatu generato, vel ab humoribus vaſa membrani tympani aut perioſtei

* Fernel. conſil. med. conſ. xi. Tulp. lib. 1. cap. 10. Riverii prax. lib. 2. cap. 1. Heiſt. Inſ. chir. part. ii. ſect. ii. cap. 58. Ibid. ſect. i. cap. xx.

† De ves. et font. uſu circumſpecto. ſect. xii.

‡ Obſ. anat. med. et chirurg. obſ. 1.

ſtei auris internae obſtruentibus, vel denique a nervi ipſius auditorii quodam vitio, proveniat hoc malum: humores etenim extrorſum derivando, et portionem duram paris ſeptimi nervorum irritando, fructum bonum pollicetur. Infantibus quatuor primis, ex iiſdem parentibus prognatis, ex utero ſurdis; tres poſtea nati, admotis capiti veſicatoriis, probe audiebant *. Dictum eſt, ſurditatem longam, ab inflicto corporis trunco vulnere, durante puris fluxu, penitus ablatam poſteaque reverſam eſſe †. De veſicantibus et fonticulis in hujuſmodi affectibus, plura apud Hoffmannum legenda ſunt.

A veſicantium uſu in odontalgia optime ſaepe amovetur dolor atrox ‡. Alii * juxta brachii flexuram lateris affecti, alii † ad acromium lateris contrarii ponunt; frequentiſſime vero prope aurem apponuntur. Huc quoque ſpectat ferrum ignitum tantis laudibus elatum.

In Catarrhis, ubi a tenui quadam lympha laryngem irritante provocatur tuſſis, veſicatorium cervici

* Cheſelden's anat. Edit. 2. 1722. pag. 251.

† Woodward. Select caſes, pag. 391.

‡ Miſ. Nat. cur. Decur. ii. An. 5. Obſ. 160. pag. 333. Monro's Anat. pag. 398.

* Heiſt. Inſt. Chir. T. i. p. ii. Sect. i. cap. xx. vid. etiam Comp. med.

† Simpſon on Vital & Animal Actions pag. 83.

vici appoſitum remedium ſe praebet nulli ſecundum. Poſt opium fruſtra adhibitum cum incraſſantibus et oleoſis, effectus hoc ſaepe praeſtat pulcherrimos. *Catarrhi*, inquit Helmontius, *invenerunt cauteria*: ad eandem quoque originem uſtiones refert Herodotus*; et innumeri ſane morbi quibus haec uſui ſunt apud medicos antiquos, in hoc potiſſimum conveniunt, quod ex defluxionibus fere oriri judicabantur.

Willisius profitetur, quod cum ſaepius tuſſi immani, cum ſputo craſſo et copioſo, correptus ſit, a nullo alio remedio plus quam a veſicatoriis levamen recepiſſe †.

Asthma, ſive ſit Idiopathica, ſive ex nervorum vitio vel alio morbo pendeat, admotis veſicatoriis commode levatur. Sive enim lenta pituita bronchia vel glandulae ſuae onerentur, ſive Pulmones oedematoſi fiant, vel intra thoracis cavum aqua colligatur, ſive a viſcidâ ſanguinis indole, a podagricae vel febrilis materiei metaſtaſi, vel denique a Spaſmodica Bronchiorum affectione, oriatur aſthma; cauſis hiſce variis optime reſpondent veſicantia.

In

* Lib. 4. c. 187.

† De med. operat. Sect. 3. cap. 3. pag. 271.

In Pleuritide et Peripneumonia, veſicatoria ſummis laudibus efferuntur a Medicis celeberrimis *. Alii circa diem ſeptimum; alii ſub morbi initium (praemiſſa tamen venaeſectione debita) apponunt. Quinetiam alii ſuris admovent, ab Hippocrate docti, in pectoris affectibus tumores quoſcunque ad crura bonos eſſe; alii lateri contra applicant, quia derivatio major videtur quo parti affectae propior fiat.

In Peripneumonia Notha, omnia remedia fere vincunt veſicantia †; pulmones ſublevant, vires vitae erigunt, expectorationem promovent. Cum ſit hic morbus nihil aliud quam aſthma cum febre conjunctum, vel paroxyſmus acutus aſthmaticus, intuitu primo videretur venaeſectio tantis laudibus in aſthmate elata, hic veſicatoriis praeferenda; contrarium vero hinc patet, quia in peripneumonia notha quamvis pulſus celer febrim indicet, vires interim vitales ad gradum naturalem non aſcendunt: cum febris haec ſymptomatica ad ſalutem ubique tendat, naturae indicanti ſemper auſcultandum.

Quan-

* Mead. Mon. et Precept. Med. p. 35. Huxham. Eſſay on Fevers, p. 219. Pringle on Diſeaſes of the Army, Part. 3. Chap. 2. Bagliv. de uſu et abuſ. Veſicantium, cap. 3. Sect. i.

† Vide Boerhaav. aph. 873. Huxham on Fevers, pag. 231.

Quandoquidem in pulmonum morbis, in ipſam partem affectam, propter ſitum ejus, vires Cantharidum attenuantes immediatè non licet inferre; ad topicam applicationem propius forſan accedit, ſi collo admoveantur veſicatoria, ab aure ad claviculam extenſa, octavo nervorum pari incumbentia. Hoc monuit praecep. clariſſ. Al. Monro in tuſſi puerorum convulſiva *; et hinc non longe differt Celſi admonitio †, qui de tuſſi agens, valere ſcribit ſinapi faucibus admotum.

Idem praeceptor celeb. in praelectionibus exemplum retulit, ubi ſingultus pertinax, poſt varia tentata remedia, veſicatorio ſpinae dorſi admoto, foeliciter aufugit.

De veſicantium efficacia, in vomitu pertinaci epigaſtricae regioni admotorum, rumor quidem increbuit; exempla vero, cum plerumque ſint incerta, omittam. Interim tamen de torminibus ſequens occurrit hiſtoria. "Filius unicus N. N. novem "annorum, ex inordinata victûs ratione, tormini"bus ventris tam atrocibus affligebatur, ut non "tantum deliraret, parentes et adſtantes pugnis et "pedibus

* Anat. of the human Bones and Nerves, page 406.
† Lib. 4. cap. 4.

" pedibus impeteret, ſed et Epilepſiae periculum " immineret. Cum autem interna quaevis aſſu- " menda reſpueret, atque externa remedia, ene- " mata, fomenta, balneum renueret, emplaſtrum " veſicatorium (alias in ſubſultibus Epilepticis mul- " tiplici et foelici experientia a me probatum) um- " bilico imponi curavi; quod optime profuit, ita " ut dolor paulo poſt remiſerit, atque reliqua ſym- " ptomata ſenſim evanuerint * ".

In malo melancholico non ullum remedium mihi magis videtur indicari. In hoc morbo fluida ſpiſſa et viſcoſa evadunt; dum actio vaſorum tarda fit et debilis, ſaepe adſunt viſcerum abdominalium obſtructiones; affinitatem habet cum cerebri morbis; a febre non rite ſoluta quandoque oritur, et a febre ſuperveniente ſaepe tollitur; ab eruptione denique cuticulari ſpontanea, poſt morbum inſanabilem eſtimatum, interdum ſanatur. In *morbo Lienis* antiquorum, diuretica et ſinapiſmos ſuaſit olim Celsus. Dolendum tamen eſt, quod etſi ratio veſicantia adeo commendet, in praxi votis ſaepe non reſpondeant; haec animos aerugo cum ſemel imbuerit, leges Medicinae reſpuit; arti attamen ne

ſit

* Acad. Leopold. Append. Cent. 9. et 10. Obſ. 42.

ſit opprobrio; quod Medicorum eſt promittunt Medici.

In Mania, ubi eo uſque morbus increverit, ut quid ſit agendum, fere dubitemus; ſi de temperamento penitus mutando cogitemus, hoc forſan uſu Cantharidum efficietur: quod probabilius videbitur, ſi advertamus ad ulcerum effectus, necnon febrium, et illarum praecipue quae a mutata regione producuntur. Exempla ſunt, ubi a variolis mutetur temperamentum; uniuscujuſque habitus ab hoc morbo ſane obſcuram quandam patitur mutationem, adeo ut nunquam poſtea eidem ſit obnoxius.

Rolfinkius in mania ſumme proficua eſſe aſſerit veſicantia, ſi brachiis, ſi ſcapulis admoveantur. Hoffmannus vero Cantharidas vituperat propter ſalem cauſticum *.

In Rheumatiſmo et Arthritide, necnon in dolore Iſchiadico, multum laudantur veſicatoria, partibus affectis admovenda †. Hic loci non alienum videtur memorare, quod epiſpaſticum malleolo diſtorto

* De delirio Melancholico, c. 8.

† Paraeus, Lib. xviii. Boerhaav. aph. 1281. 1493, 1494. Hoffman. De Veſic. Sect. 13. ubi plures memorantur authores.

to ex errore applicatum, tantum attulit beneficii, ut brevi ablato tumore, dolore et rigore, praeter ſpem citiſſime convaluerit.

Beneficia veſicantium in Rheumatiſmo, vi diſcutienti aſcripta ſunt; dum in podagra, morbum in partem ſubjectam attrahere et figere creduntur: mirum forte videatur, in affectibus ita conſimilibus, ejuſdem remedii effectus, in utroque caſu bonos, operationibus tribui contrariis. In Rheumatiſmo, viſcoſitas quaedam phlegmatica circa muſculos, tendines et articulos congregata, morbum parit; haec igitur tum vi Cantharidum reſolvente, tum aucto motu oſcillatorio, attenuata, diſpergitur: Aliter evenit in Podagra, ubi materies quaedam terreſtris, cretacea, tum vi reſolventi tum vaſorum actioni reſiſtens, exiſtit cauſa; quando igitur, admoto veſicatorio, partes ſubjectae inflammatae obſtructioni prae caeteris favent, portio iſta fluidorum tophacea, circulationi liberae minus apta, ibi praecipue ſiſtitur et colligitur.

Apud nonnullos * in Hydrope veſicantia ſunt in pretio; Fernelius † videtur primus qui in hoc morbo

F uſus

* Paraeus, lib. vii. cap. xii. Boerhaav. aph. 1242.

† Conſil. 32.

uſus eſt. Celsus olim in Tympanitide laudavit ferrum candens abdomini admotum * ; hodierni exemplum ſecuti, veſicatorium huic apponere jubent †. Hoffmannus, qui in hydrope veſicantia parum laudat, in anaſarca tamen, hydrope ſubito, ut ex menſium vel haemorrhoidum ſuppreſſione prognato, ſi viſcera adhuc ſint ſalva, vires non adeo proſtratae, urina non parca et tenuis, et febris quoque deeſt, locum habere poſſe, concedit ‡.

Septalius, qui contrariam tenuit ſententiam, teſtatus eſt, ſe quadraginta annorum ſpatio, quo medicinam fecerit, nullos unquam, quibus a medicis veſicantia admota, curatos vidiſſe, ſed fere ſemper Gangraenas ſubſecutas curatu fere impoſſibiles *.

Excretio lymphae per veſicas excitata, ſi conſideretur, longe diverſa videtur ab ea, quae paracenteſi fit vel ſcarificatione, et multo inferior; cum enim veſicantia ſubter cutem non penetrent, humor ſtagnans hoc modo vix, niſi per tranſudationem vel Metaſtaſin, eliminatur ; praecipuè autem portio

* Lib. 3. cap. 12.
† Mead Mon. Med. cap. viii.
‡ De veſ. et font. Sect. 20.
* Animad. Med. Lib. vii. Cant. 56.

portio fluidi circulantis, quae a vaſculis ipſius cutis provenit. Inde quoque videtur effectus maximè generalis, et in omni Hydropis ſpecie fere pariter convenire. Verum excreti humoris copia ad hydropem abigendum vix ſufficere apparet, praeſertim cum inflammatio debita fluxum cohibeat, vel quo humidior fiat veſica, et quo plus aquae per hanc viam eliciatur, eo magis periclitetur Gangraena. Si bonum igitur fructum tulerunt unquam veſicantia, ab infusâ corpori toti Cantharidum acrimonia pendere potius videtur, (qua caeterae ſimul moventur excretiones), quam ab evacuato ſolummodo per cutem ſero.

LAUDANTUR merito veſicantia in Rachytide *, in Hydrocephalo externo †, et in hydrope articuli in membrana adipoſa poſito ‡. Quantumcunque in his morbis valeat excretio lymphae, huic ſoli veſicantium effectus non tribuendi ſunt, namque apud authores eoſdem celebrantur applicationes penetrantes quae fluxum hujuſmodi non faciunt.

MORBOS praecipuos, in quibus curandis uſui ſunt

* Boerhaave. aph. 1489. Gliſſon. de Rach. cap. 29.
† Heiſt. Inſ. Chirurg. Tom. i. Part. ii. Sect. i. cap. 40.
‡ Warner. Phil. Tranſact. Vol. 49. Part ii. 1756. Art. 3.

ſunt Medicis veſicantia, percuraſſe videor; reſtant tamen mala quaedam leviora, in quibus locum aliquando mereantur; incubus, ſpaſmi vagi, cephalaea, vertigo, leipothymia; quae vitiatum corporis habitum plerumque indicant, necnon morbos ſaepe graviſſimos praenunciant.

Hodie vix niſi ad cutem veſicandam, Cantharides externe adhibentur; aliquando tamen occurrit earum mentio in porrigine, fonticulis areſcentibus, ulceribus vetuſtis, ſenibus plerumque ſalutiferis, et ulceribus calloſis *.

Nefas forſan videretur curationem celebratam praeterire, quam cum Paraeo tentavit Hollerius. Foeminae generoſae vultus, circum undique puſtulis ardentibus admodum foedis, tanquam in Elephantiaſi, deformis erat. Veſicatorio ex Cantharidibus univerſae faciei appoſito, tantus dolor tantaque febris ſupervenere, ut vitae periculum immineret; deformitas autem cum febre in perpetuum evanuit.

SECT.

* Van. Swiet. Comm. Sect. 1083. Heiſt. Inſ. Chir. Tom. i. p. i. lib. 5. cap. 7. ibid. Tom. ii. Sect. 5. p. ii. cap. 143.

SECT. VI.

Usus Cantharidum internus in Hydrope antiquiſſimus eſt. Apud Hippocratem ſequens deprehenditur "Potio hydropica. Cantharidas tres, ab-"latis cujuſque capite pedibus et alis, earum nimi-"rum corpora in tribus aquae cyathis exhibe *." Galenus vituperare videtur hujuſmodi medicamentum, citans medicum quendam audacem, qui praedictas partes a Cantharidibus abjecit, deditque hydropico, qui non multis poſt diebus obiit; idem poſtea medicus, conſilio mutato, rejectis corporibus, partes abſciſſas alteri hydropico propinavit, et is quoque multis poſt diebus periit: fatetur tamen Galenus, medicamento urinam movente, ex Cantharidibus parato, quoſdam, abſque bibentium incommodo, uſos eſſe †. Idem Hippocrates in hydrope uteri, medicamentum ex Cantharidibus apponendum jubet.

* De Rat. Vict. in morb. acut. Sect. 4. tex. 104. tom. xi, p. 187.

† Comment. in loc. cit.

jubet *. De hodiernis, qui in hydrope Cantharidas adhibuerunt †, ſingulatim dicere non vacat.

In Ictero etiam adhibuit Hippocrates, quatuor ſcilicet demptis alis et capitibus, bis vel ter quotidie ex vini albi hemina dimidia, pauculo mellis admiſto ‡. Hodierni nullius, qui ſecutus eſt, memini; quamvis millepedarum, quae ab ejuſmodi principiis virtutes trahunt, uſus ſit vulgatiſſimus. Bilis in ſanguinem refuſa, per renes potiſſimum excernitur; ex quo patet uſus diureticorum: interim tamen, cum haec ad morbi originem ſaepius non ſpectent, palliativa praecipuè judicanda ſunt. Cantharides, etſi in hepatis obſtructione viſcida juvare poſſint, ad calculum tamen nihil valent. Hippocrates non, niſi ad ſpeciem iſtam, ubi corpus lividum fuerit et aliquantulum durum, commendavit.

In tuſſi convulſiva, ubi a pituita lenta viſcoſa naſcitur, medicamentum ex Cantharidibus, Camphora et Ext. Cort. Peruviani, quaſi ſpecificum ex

tollitur;

* De mul. morbis, lib. 1. cap. 59. Tom. vii. pag. 761.

† Hoffman. de ſpecif. quorundam Rem. virtute. Groenvelt. de tuto Canth. uſu intern. Yonge. Phil. Tranſact. abrid. Tom. 5. page 405. Capivaccius. Prax. p. 688. Weieri obſerv. med. pag. 80.

‡ De internis affectibus, cap. 38. T. vii. p. 666.

tollitur; ſed ubi contra a deſtillatione tenui et acri morbus prodiit, minus convenire judicatur *.

In Lepra et Scrophula tinct. Canthar. tanquam remedium praeſtantiſſimum laudatur a Celeb. R. Mead †. Amicus ingenioſus teſtatur ſe vidiſſe impetiginem, toti cuti obductam, quae duabus Salivationibus prius reſtiterat, Cantharidum tinctura, addito Vino Benedicto, remotam ‡.

In ſuperiore Hungaria, ultra fluvium Tibiſcum ſaepiſſime Hungari morbo ſequenti laborare feruntur: ſubito ipſis intumeſcit collum, poſt ingens ſuccedit calor in capite, tandem in totum corpus tranſiens; qui non ſtatim remedium adhibent, intra quatuor dies pereunt. Morbus ipſe ad ſpeciem Hydrophobiae accedit. Curam tali modo inſtituunt: aſſumunt pro una vice decem Cantharidas pulveriſatas; is pulvis epotus ipſis interdum largum ſudorem, interdum copioſum urinae fluxum excitat, *citra ullum tamen dolorem*. Hoc remedium in Germanis et aliis gentibus vix eſſet imitandum: Hungari vero ultra-Tibiſcani duriſſimae et ſolidae ſunt naturae,

* Burton on the Non-naturals. Vide Append. on Chin-cough.

† Eſſay on Poiſons, Edit. ult. pag. 52.

‡ Diſſert. inaug. per Al. Hunter, p. 8.

naturae, putant ii, ſi integrae ſumantur Canthari-des, abſque noxa fieri id poſſe, quod pedes Cantharidum corporis venenoſi antidotum ſint *.

In Rabie Caninâ, Cantharides per os aſſumptae apud authores plurimos laudantur †. Hungari contra venenum animalium rabidorum in aceto fortiſſimo aſſervant. Si homo, equus, canis, vacca, aut ſus demorſi ſint, exhibent homini unam, duas, tres vel quinque, animalibus vero in majori copia; integras quidem propinant, in ſpir. vinoſo, aut cum theriaca vel pane. Qui duas vel tres aſſumpſerunt, nec dyſuriam, nec mictum ſanguineum experiuntur, ſed ſolum urinam, copioſius integrâ die nocteque profluentem ‡.

Tinctura Cantharidum ad Gonorrhoeam virulentam a medicis plurimis magnopere laudatur *. In India orientali methodus iſta curandae Gonorrhoeae admodum familiaris diu tradita eſt †.

In

* Ephem. Nat. cur. D. i. an. i. obſ. 133.

† Commerc. Litt. Norimb. 1735. Hebd. xi. Sect. 3. Mead. Eſſay on Poyſons.

‡ Eph. N. C. loc. cit. append. pag. 31.

* Act. Hafn. Cent. 5. obſ. 62. Ib. obſ. 82. Bartholin. Cent. 4. Epiſt. 53. pag. 289. ib. Ep. 54. p. 292. Mart. Liſter. Exercit. med. pag. 83. Garridell. pag. 115. Com. Litter. 1733. pag. 356. Eph. N. C. Dec. ii. an. 5. obſ. 172. pag. 350.

† Eph. Nat. C. Dec. i. an. i. pag. 297.

In pertinaci profluvio venereo poſt luem relicto, ubi nihil valet mercurius, tincturam Cantharidum laudavit auctor celeberrimus, quum per multos annos probaſſet, medicamentum efficaciſſimum ſemper inveneſſet, et chirurgis mediciſque plurimis commendaſſet *.

Quomodo in his morbis operetur tinct. Cantharidum, an fomitem expurget morboſam, an partes irritando et corrugando profluvium ſiſtat, haud quaeram: ab analogia tamen videtur Methodus huic ſimilis in fluore albo non prorſus aliena: a nonnullis etiam laudatur †.

Hippocrates pro remedio ſummo in variis mulierum morbis habuit Cantharidas; et quamvis nonnunquam in aliis morbis, in his tamen praecipue uſus eſt ‡.

In impotentia proſunt et in ſterilitate, quatenus obſtructiones viſcidas tollunt et venerem excitant; plurima autem impedimenta in utroque ſexu accidunt quae remediis hujuſmodi non cedant.

* Mead. mon. et praecep. med. cap. xx. pag. 257.

† Morgan's Mechanic. Pract. pag. 250.

‡ De nat. mul. cap. 18. 29, 32, 96, 106. De mul. morb. Lib. i. cap. 69. 73, 81, 83, 94, 99.———Lib. ii. cap. 15. 59. De Superfoetatione, cap. 16. De Sterilibus, cap. 9.

In urinae ſtillicidio a laxato nimis veſicae collo, a Cantharidum uſu merito expectatur auxilium. In morbo univerſo, ſymptoma hoc, ſi ab ullâ medicatione, ab hac certe levamen accipiat; mortem nihilominus appropinquantem certiſſime denunciat.

SECT. VII.

"Nullum generoſum remedium eſt, (inquit "Galenus) quod non poſſit prodeſſe, et ſimul etiam nocere." Quibus morbis proſint Cantharides, jam vidimus; quibus noceant vel minus juvent, ex iiſdem fere patet; quoniam igitur longae ſunt ambages, ſumma tantum ſequar faſtigia rerum.

Nocent igitur praecipue, in morbis ab humorum acrimonia vel diſſolutione ortis; morbis etiam plethoricis vel inflammatoriis gravioribus, venaeſectione debita non prius inſtitutâ; ubi ſolida nimis elaſtica vel irritabilia ſunt; ubi deeſt glutinoſum nabenificum: in temperie hecticâ, Maraſmo, Æſtu venereo, Calculo, Haemorrhagia, aliiſque.

In Gangraena, quamvis inter ſtimulos optimos merito habeanter, nocent: parti jam mortuae admotae, nullum praeſtant effectum; parti viventi appoſitae, morbum huc transferunt, et ſincera contaminant.

Quam-

Quamvis in Scorbuto Cantharides laude non careant *, peſſimae ſunt habendae; nam fluidorum ſolutio et acrimonia inde augetur, et Haemorrhagiae promoventur: ulcerum quoque indoles perverſa cutem exulcerari vetat.

In Ulceribus Scorbuticis laudatur ung. ex Cantharidibus †. Etiamſi ſordidis quibuſdam ulceribus admoveri id concedamus, ulcera tamen Scorbutica prae caeteris omnibus, experimentis hujuſmodi minus favent.

In affectibus Calculoſis alii Cantharidum uſum laudant, alii ‡ vituperant. Ipſe quidem in Iſchuria pernicioſas judicem, quod his adhibitis urgentur humores eo, ubi non datur porta; ſalium quoque acrium, ob urinam detentam jam nimis abundantium, copia augetur. Irritatio Cantharidum quoque nocet, quoniam Iſchuria a concretionibus calculoſis (causâ frequentiſſimâ) nata, ab irritatione, qua meatus conſtinguntur, potius quam exacta horum oppilatione, pendet.

Ex

* Morg. Mech. Pract. pag. 356.

† Ibid. pag. 354.

‡ Hoffm. Mater. Med. juxta finem. Huxham on the ſore Throat, page 64. Bagliv. de uſu et ab. veſ. p. 654.

Ex propria notitia hoc tantum addam. Semel in Iſchuria pertinaci, poſt varia nequicquam tentata, Cantharidas tandem, remedium quaſi extremum, tincturâ propinatas vidi: circa diem morbi decimum octavum periit aeger: paulo ante mortem urinam ubertime reddidit, nullo tamen exinde ſecuto levamine; ita naturae jam devictae indicium potius videbatur, quam excretio ſalutaris.

In febre ob ſimilem rationem, ubi urina tenuis et aquoſa eſt, vel parce redditur, et accedit Delirium, Subſultus, &c. mihi ſane Cantharides vix indicari videntur; cauſa enim non ſolum in fluidis conſiſtit, ſed adeſt etiam in partibus uriniferis vitium Spaſmodicum, quod acrimoniâ Cantharidum creſceret. Obſervata ſunt haec ipſa ſymptomata ab uſu praematuro Veſicantium orta *. Materia autem febrilis jam cocta et mobilis reddita, dum per Renes meditatur exitum, ſymptomata modo memorata producere poterit. An ab hâc cogitatione prognoſis mitigationem accipiat, non quaerendum eſt; uſus autem Cantharidum inde vix indicatur. Si ſtimulorum adſit neceſſitas, tutiora videntur Cataplaſ-

* Huxham. Eſſay on Fevers, p. 119.

taplaſmata acria, Emplaſtrum Cephalicum, Euphorbium et ſimilia.

In Diabete Cantharidum tinctura cum Elix. Vitrioli laudibus ſpecifici extollitur *; contra, dicitur ex Cantharidibus nuchae appoſitis puellam in lethalem incidiſſe Diabetem †. Non noſtrum eſt has componere lites.

Prosper Alpinus refert, nonnullos in Ægypto quatuor Cantharidum capita et alas in pulverem redactas, cum tribus unciis aquae Endiviae aegrotis propinare; quo medicamento, vel per ſudorem copioſiſſimum, vel per urinam Peſtiferum venenum vacuari, affirmant. Hos autem ipſe *audaces* appellat ‡.

SECT. VIII.

Cum Venena apud Veteres, necnon Medicamenta violentiora antidotos, vel correctores habuerint; ita quoque Cantharides. Inter horum principes occurrit Oleum, ab Hippocrate * et Dioſcoride †, memoratum:

* Morg. Mechan. Pract. p. 114.
† Eph. N. C. Dec. ii. An. 7. Obſ. 86. p. 149.
‡ Med. Ægyp. lib. 4. cap. xv.
* De rat. vict. in morb. acut. Sect. 4.
† De Venen. cap. 1.

moratum: Lac deinde ab Aretaeo *, Plinio † et Celſo ‡ laudatum. Acrimonia hiſce obvoluta inertior evadit.

Acida, cum Cantharidibus ad veſicandum admota, adeo earum virtutem hebetare obſervantur, ut longe debiliorem edant operationem. Oribaſius monet, "in acetum infuſo ſinapi imbecillius fit "Cataplaſma *." Avicenna laudat Cantharidas cum aceto linitas ad Morphaeam, &c †. Huc forte pertinet methodus antiquiſſima et univerſalis necandi Cantharidas per halitum aceti ferventis ‡. Correctionem hanc in eo conſiſtere voluit Etmullerus, ut vis ſalis volatilis cauſtici temperetur ab acido, et abeat in ſalſum temperamentum, non adeo Corroſivum. Uſum habere poſſunt acida, in morbis putridis, propter vim antiſepticam.

Camphora hodie locum occupare videtur Antidotorum generalium antiquitatis. Acrimoniam non

* Curat. Morb. Diut. lib. i. cap. 4.
† Hiſt. Nat. lib. xxviii. cap. 9. lib. xxix. cap. 5.
‡ De Med. lib. v. cap. 17.
* Medicin. Comp. capitulo de Sinapiſmis.
† Lib ii. tract. 2. cap. 205.
‡ Dioſcorid. Mat. Med. Lib. ii. cap. 54.

non ſolum obvolvit, ſed verſus cutem dirigit, quo minus veſicam laedat.

Galenus denique, Aſclepiadis auctoritate, refert, Cantharidas proprio veneno remedium et antidotum eſſe, ſi earum pedes et alae tritae, cum melle Eclegmatis modo, paulatim aſſumantur *. Similiter quoque ſcribit Aëtius †. Alii contra totum venenum in pedibus et capite exiſtimant ‡. Hippocrates igitur haec auferre jubet, quum Galenus integras uſurparet, ne exuerentur antidoto *. Quaeſtio haec vix apud hodiernos determinatur.

SECT. IX.

Cantharides per os ingeſtae, ſicut alia venena, ſunt oppugnandae: imprimis vomitione opportuna, copia deinde magna liquidi oleoſi lactei, tum per os aſſumpti tum per anum injecti, praecipue fidendum eſt. Hujuſmodi exempla rariſſime occurrunt; ſi quod ſpecificum neceſſarium habeatur,

* Lib. 2. De Antidotis. cap. 7.
† Tetrabib. 4. Serm. 4. cap. 49.
‡ Vid. Plin. Hiſt. nat. Lib. xxix. cap. 4.
* De Simp. Med. facult. cap. i. Sect. 44.

tur, Veteres evolvendi ſunt. Praeter jam dictos Nicander effectus Cantharidum elegantiſſimo carmine deſcripſit, et varia propoſuit remedia †.

Dysuria ex uſu Cantharidum frequentiſſima eſt, et oritur ex doſi aequo majori, veſicantibus magnis vel multis ſimul appoſitis, vel ſedibus prius ulceratis; hanc quoque promovebit ſanguinis Diatheſis inflammatoria, perſpiratio diminuta, Nervorum major ſenſilitas, vel affectus calculoſi. Occurritur mucilaginoſis, oleoſis, diluentibus, laxantibus, Balneo tepido, fotis, Clyſteribus, Anodynis, Refoventibus Antiphlogiſticis, Manna, Nitro, Derivatione verſus Cutem, &c. Si levior ſit, patientia cum potu copioſo diluente ſufficiet. Dyſuria caveri dicitur Camphorâ veſicatorio obductâ.

Priapismus et Furor uterinus, ſi forte occurant, ſimilibus tentandi ſunt, quibus addere licet Venaeſectionem, niſi aliud quid vetet.

Inflammatio gravis curatur Epithemate Emollienti, fotu lactis vel Cataplaſmate ex pane triticeo in lacte cocto. Antiphlogiſtico alio raro opus eſt.

Gan-

† Vid. Alexipham. apud Gorr. Definit. p. 45.

Gangraena ſymptoma graviſſimum oritur ab inflammatione debita deficiente, vel poſt violentiſſimam praegreſſam: accidit praecipue in febre putrida, hydrope, aetate provecta; vel iis denique temperamentis, quibus faciei color eſt lividus Scorbuticus. Curatio externa in fomentis calidis, aromaticis, ſpirituoſis, et inciſionibus conſiſtit. Interna poſtulat Cort. Peruvianum, Elix. Vitrioli, Cardiaca et Antiſeptica.

His denique praeviſis, principiis obſtandum eſt. *Venienti occurrite morbo.*

Sic tandem pro ingenii tenuitate, ne matris almae precepta violarem, diſſertatiunculam, rudem quamvis et indigeſtam, lectoris Clementiae ſubjicimus Favete tentamini juventutis; nec Sobolem primogenitam cenſuris obruete. Errores, qui oculo erudito plurimi obverſantur, a Calamo tyronis ſaepenumero decidentes, favoris velamento obducantur; tempore, experientia et judicio maturiore, ut ſpero, corrigendi.

Neſcium ſane quantum opus ſuſcepiſſem, fateor me in thematis delectu multum erraſſe; plurima igitur prorſus omiſi, plurima quam breviſſimè memoravi. Conamur ſic tenues grandia, ſic magnis excidimus auſis.

FINIS.